

His ita gestis ad Maximiani audientiam pervenit, quod Longobardi Panoniam¹ tenebant et possidebant, arva quidem Panonie et iura etiam et bona ipsius provincie habitatoribus subreperant². Quo facto exiit edictum³ a Maximiano, ut Longobardi omnes in Panonia habitantes Panoniam et arva Panonie desererent et ad vetera deberent redire, loca vero omnia, que incollis eiusdem provincie abstulerant, reddituri. Igitur Longobardi⁴ relicta Panonia cum uxoribus et natis, licet invite, ad propria sunt reversi, habitaverunt namque in Panonia annis XXII. Qui dolentes, flentes et conquerentes ad presentiam Gisulfi Longobardorum regis accesserunt, omnia per ordinem que eis contingerant aperientes. Quo audito et intellecto a rege, ingenti dolore et tristitia repletus, communicato consilio virorum nobilium, ad partes scilicet Lonbardorum subiugandas cum exercitu magno accedere proposuit. Misit autem legatos per universum Longobardie⁵ regnum, ut tam pedites quam milites equis et armis egregie preparados ad suam deberent appropinquare presentiam, victualia ad sex menses deferentes. Congregato namque exercitu tribus mensibus versus Lonbardiam velociter pergere festinaverunt. Audiens hec Maximianus, non tamquam timidus, sed *tamquam homo magne audacie, uni-^{*f. 44d.}versam gentem Lonbardorum iuxta Reni fluvium coadunare precepit cum equis et armis et victualibus sibi necessariis. Sicut dixit et statuit, sic et factum est et adimpletum. Et dum sic starent, audito de adventu Longobardorum⁶, castra sua movere versus inimicos iussit. Qui venientes ad partes Imole, ibidem sua finxit tentoria, adversarios ibidem expectantes. Capto namque castro et omni fortitudine Imole, illud diligenter custodire fecerunt. Et dum hec agerentur, exercitus Longobardorum appropinquans, prope castra Lonbardorum sua posuerunt tentoria. Altera vero die ambe partes summo mane exeuntes de castris, tensis aquilis et signis belli motis et tubis per partes sonantibus prelium magnum incipitur. Multi ab utraque parte sunt mortui et in campis iacentes semivivi et gravissime vulnerati. Preliaverunt namque usque ad horam none, et tunc unaqueque pars voluntarie secessit. Capti sunt etiam de Longobardis in ipso prelio quinque milia ducenti virorum bellicorum et mortui quingenti XXII. Ex Lonbardis capti fuerunt ducenti XL et interrepti LVI virorum armorum. Silentii vero nocte Longobardi mortuos et captos computantes et cognocentes innumerabiles de bello turpiter recessisse, videntes resistere non posse, castris relictis clam et pri-

1) D. i. Venetien; vgl. oben S. 326, N. 19. 2) So Hs. 3) 'dēm', e davor übergeschrieben in der Hs. 4) 'lonbardi' Hs., es muss aber nothwendig 'Longobardi' gelesen werden, da Lonbarden und Longobarden bei Codagn. verschiedene Völker sind. 5) 'lonbardie' hier wieder Hs. 6) 'longobardi' Hs.